



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 74. Relogio Catholica a Cæsare Augustæ restituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

Et de pactis induciis, Et quid in posterum Sæcul. XVI.  
feri oporteat, est explicaturus. Postremo, A.C. 1547.  
privatas quorumdam deliberationes, atque  
congressus non probo; nam iis impediun-  
tur publicæ actiones, ac sœpe fit, ut persua-  
sionibus a sententia concepta multi revocen-  
tur: id autem in publicis Imperii Conven-  
tibus non est decorum, neque ferendum:  
quid enim quisque sentiat, palam debet in  
confessu, Et libere pronunciare: hæc sunt,  
de quibus ad vos referre volui, Et peto, ut  
de iis quamprimum agatis, Et quid vestræ  
sit voluntatis, demonstretis.

## § LXXIV.

Religio Catholica a Cæsare Augustæ  
restituta.

Insuper Cæsar Religionem Catholicam  
Augustæ reduxit, atque Cardinalem *Thou l.4.n.7.*  
Othonem Truchsesium de Waldburg e-  
iusdem Urbis Episcopum suis iuribus  
restituit, qui Ecclesiæ rursum lustravit,  
atque expiavit, nec non antiquum Dei  
cultum, prout ante hæresin vigebat, in-  
stauravit. Verum non eodem animo-  
rum consensu Cæsar's propositiones cir-  
ca Religionem ab omnibus excipie-  
bantur; quippe S. R. I. Electores Eccle-  
siastici non alia ratione, quam per ipsam  
Tridentinam Synodum Religionis dissi-  
dia esse componenda omnino conten-  
debant.

**Sæcul. XVI.** debant. Ex adverso Protestantes non  
A.C. 1547. id quidem penitus recusabant, petebant  
tamen, ut Concilium foret liberum, nec  
ei Pontifex præcesset, quinimo Episco-  
pis præsentibus fidei sacramentum, quo  
Pontifici adstricti erant, remitteretur.  
Præterea postulabant, ut eorum etiam  
Theologis decidendi facultas compete-  
ret, atque Synodi decreta hucusque  
condita rursus examini subiicerentur,  
ac denuo ad trutinam revocarentur:  
ceteris vero placuit, ut Synodus conti-  
nuaretur, atque ad eam Protestantes pu-  
blicæ fidei literis a Papa, ac Cæfare  
muniti admitterentur, eorumque que-  
relæ exciperentur, seque Concilii de-  
cretis obtemperaturos vicissim spon-  
derent.

§. LXXV.  
*Cæsaris mandatum de obedientia  
Synodo ab omnibus præstanta.*

**A**ttamen Cæsar, ut opiniones tam dissi-  
miles tolleret, responso die vigesima  
Octobris dato petiit, ut omnes sine di-  
scrimine fese Concilio subiicerent. Ad  
hæc Palatinus Dux Cæsar is ram veri-  
tus: Mauritius vero Landgravium in li-  
bertatem asserendi spe incitatus, alii  
autem variis expugnati rationibus to-  
tam rem Cæsar is arbitrio tanta animi  
prom-